



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 5. Ab equis, & vinis mala in authores reuersa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

per Poëtas & fabulas ostensa. 55

*Frater ut Antai, quo sanguine debuit, aras* Idem  
*Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.* Ouid. in  
Ibid.

Sciron immanissimus latro, in Attica, à  
Theseo in mare præcipitatus est, quò priùs  
hospites ipse præcipitabat; cuius idcirco  
ossa in scopulos mutata finguntur. Tutus  
ex eo Atticæ limes

*Composito Scirone patet: sparsisq; latronis* Ouid. lib.

*Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda: 7. Metam.*

*Qua jactata diu fertur durasse vetustas*

*In scopulos, Scopulis nomen Scironis inhareret.*

§. V.

*Ab equis, & vinis mala in authores reuersa.*

Crudelissima canuntur fuisse Diomedis  
præsepia, nam ibi equos suos humano san-  
guine pavit. Tandem ergo & ipse Diomedes  
ab Hercule datus est in pabulum suis equis.  
Fabula hæc dici potest; historia tamen fit  
sæpe apud eos, qui subditorum suorum su-  
dore & sanguine equos ad delicias pascunt.  
Quid deinde mirum, si & ipsi ab equis peri-  
mantur, vel percussi, vel excussi? Icarus pa-  
ter Erigones, cùm Atticis vsum vini tradi-  
disset, ab eisdem in ebrietatem lapsis inter-  
fectus est. Hinc illæ Diræ:

*Muneribusq; tuis ledéris, ut Icarus, in quem* Ouid. in

*Intulit armatas ebria turba manus.* Ibid.

D 4

Fit

Fit sæpe etiam ex hac fabula historia. Quoties enim, qui alterum potando cogit vires & sanitatem, & vitam ipsam perdere, ipse vicissim vino vires, sanitatem, & vitam perdit? Quot enim culullis alterum vrget, totidem ipse vrgetur; raroq; torquet alium merito, qui non & ipse torquetur. Quia ergo par numerus poculorum per vtrumque transit, par etiam plerumq; inuadit vtrumque numerus morborum. *Cui va? cuius paritri va? cui rixa? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Prou. 23.  
29.

## §. VI.

*Omnia vitia in se ipsa retorqueri, & de superbia auaritiaq; lepidum exemplum.*

Accersitum hoc malum stultis stultitiam suam ostendit. Cur enim alterius procurant ebrietatem, si nolunt ipsi inebriari? Cur alteri podagram, chiragram, lippitudinem & assiduas rubentium oculorum lachrymas conciliant; nisi vt, dum ipsi vicissim propinando, velut datatim ludunt, tantundem sibi materiæ affundant, pro lippitudine, & oculorum suffusione acquirenda? Quod etiam in alijs rebus solet contingere. Nam & qui